



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 53. Silesii idem a Cæsare intentatis minis postulantes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII. „tute in suis terris erigere velint, li-
A. C. 1609. „bere valeant, neutra autem pars al-
 „teram ullo modo lædat, multo minus
 „sepulturas in templis & Cæmetriis cum
 „campanarum pulsu peragere prohibeat,
 „aut aliquem a Religione sua avertere
 „& per vim in sua castra, suamque fen-
 „tentiam pertrahere satagat, sublati
 „omnibus in contrarium editis man-
 „datis „ Hoc mandato die decima
 tertia Julii ad arcem affixo Protestantes
 statim secunda post die in Templo quo-
 dam Hussitico Concionem per suos
 Empiricos haberi curarunt.

§. LIII.

*Silesii idem a Cæsare intentatis minis
 postulantes.*

*Contin.
 Chytr. p. 169.
 Gastal. de
 statu publ.
 cap. 6. §. 213.
 pag. 338.
 Khevenhill.
 t. 7. p. 99.
 Appamian.
 in contin.
 num. 5.*

Hæc Cæsarea concessio, qua, teste Ap-
 pamiano, Imperatoria Majestas vi-
 lescere cæperat, pacis publicæque tran-
 quillitatis obtentu honestabatur: quod au-
 tem fatali nimium experientia compro-
 batur, nulla re certius, ac funestius pa-
 cem, populi tranquillitatem, Regum
 securitatem, ac Regnorum prosperita-
 tem everti, quam ipsa Religionis di-
 versitate. Testis est Germania, Hun-
 garia, Anglia, Francia, ac præcipue
 totum Romanum Imperium, quod ante
 Lutheri ac Calvinii schisma erat floren-
 tissimum,

tissimum, nunc vero misere seditionibus discissum, bellisque devastatum ob Religionis dissidia vix pristini splendoris sui scintillas retinet. Porro Bohemiæ Proceres haud contenti, quod pro se præfatam sectæ libertatem extorserint, insuper Cæsari libellum obtulere, in quo prolixo admodum sermone conflictæ Statuum Silesiorum gravamina exponentes eis pariter liberam Religionis suæ exercitium indulgeri, nec non mortuo Carolo Austriæ Archiduce in Episcopum Vratislaviensem nullum præter Silesitam aut Bohemum assumi summa contentione postulabant, comminantes, quod milites suos, quorum prope Rogensanium recensioem instituerant, dimittere nolint, donec Silesiis Legatis idem petentibus Imperator omnibus modis satisfacisset. Quapropter Cæsar, ne novis tumultibus ansam præbuisse argueretur, hanc eandem libertatem die vigesima Augusti edito Pragæ diplomate concedere compulsus est, vehementer licet reclamante Carolo Archiduce, Episcopo Vratislaviensi: Die autem vigesima sexta ejusdem Mensis per ipsam concessionis facilitatem aucta petendi temeritate, iidem Silesii Oratores extorserunt, quod suprema Silesiæ, ut vocant, Capitanei dignitas non nisi Principi indigenæ non tamen sacris ini-

Sæc. XVII.

A. C. 1609.

Sæc. XVII. tiato conferri deinceps queat. Sub
 A. C. 1609. idem quoque tempus Christianus Prin-
 ceptus Anhaltinus, quem Principes Pro-
 testantes in fœderis sui Vicarium elegerant,
 Pragam ad Rudolphum Cæsarem venerat, eorum nomine exponens, quod
 Protestantes Donawertham Imperio iterum restitu-
 tum, ac in pristinam libertatem asseri, & in Senatorum & Con-
 siliariorum Collegium Evangelicos quoque cooptari,
 Catholicisque adjungere peterent: his ita propositis Anhaltinus
 subjunxit, quod si *processus*, ut vocant, *aulici*,
 continuarentur, Cæsar ægre ferre non deberet,
 si alia Protestantium administratio contra hujusmodi
 infortunes *processus* & gravamina a præfata
 Regimine illata induceretur: cum vero Imperator
 denuo gravissimis verbis responderet, se nunquam
 permitturum, ut ad alios jurisdictio Cæsarea devol-
 veretur, mox Anhaltinus longe altius intonans
 addidit, se non posse non declarare, quod Ordines
 Imperii, nisi Aulicum Tribunal ita emendaretur, aliud
 statuissent, scilicet propter præfata gravamina
 ipsos sibi esse prospecturos, & si, prout hucusque
 contigisset, sua Majestas ulterius permittere
 voluerit, ut Consilium Aulicum potestate sua ab-
 uteretur, sese invicem consiliis armisque adju-
 tuturos. Porro occasione horum tumul-

Carafa
comm. de
Germ. p. 41.

multum in prologium abibat, quod Sæc. XVII.
 Protestantes Catholicis non noceant, A. C. 1609.
 nisi quando, eis nocere nequeunt, Cæ-
 sari autem non obtemperent, nisi dum
 is eorum arbitrio cedit, ac eidem obse-
 quantur, cum id e re sua fore censent. Hæc
 tamen non moramur, id vero certum est,
 etiamnum non deesse Viros doctrina ac
 pietate conspicuos, qui omnes hæc
 concessionem Cæsareas nullas invalidas-
 que propugnent, eo quod vi metuque
 extortæ essent, aliunde vero soli Cæ-
 sari minime conveniret, Religionis
 novæ privilegia libertatemque conce-
 dere, dissentientibus Episcopis ac sum-
 mo Pontifice, quorum tamen Religio-
 nis curam habere potissimum interest.
 Præterea Adalbertus Zbenko Lobko-
 wizius supremus Bohemici Regni Can-
 cellarius potius suo officio cedere, quam
 huic concessio libertatis diplomati tan-
 topere Dei causæ & veræ Religioni ad-
 verso subscribere voluit, hacque de
 causa præfatum diploma non nisi Bur-
 gravii chirographo munitum habetur:
 verum ob hoc Religionis studium hic
 Cancellarius tam atrox Protestantium o-
 dium in se concitabat, ut Bohemi Pro-
 testantes illum suis bonis spoliarent,
 ipsumque tanquam acerrimum Luthe-
 ranæ sectæ hostem male habuissent,
 nisi prospera sorte absens ac fervente

*Freiberger
 Germ. per-
 turb. & Rest.
 p. 3. disc. I.*

*Priorat. hist.
 Ferd. III.
 part. I. l. I.
 Lexicon
 Univers.
 Hist. Lit. I.*

Sæc. XVII. Bohemorum tumultu Viennæ commo-
 A. C. 1609. ratus fuisset: En præclarum Luthera-
 næ mansuetudinis specimen! sed atro-
 ciora paulopost audiemus.

§. LIV.

*Novi Tumultus ex Juliacensis Ducis
obitu exorti.*

Merc. annal. **D**um hæc interim in Bohemia gere-
tom. 6. l. 3. bantur, nova dissidiorum sementis
Julii Mont. exstitit mors Joannis Guilielmi Julia-
discurs. de censis Ducis, qui sine prole mascula die
success. Jul. vigesima quinta Martii sexennio major
Investit. septuagenario extinctus est. Frequense-
Carol. V. rat de successione contendentium nume-
ann. 1543. rus, ex quibus affinitatis jure proximio-
 res, causa etiam eminere videbantur,
 Wolfgangus Neoburgi Dux & Joannes
 Sigismundus Elector Brandenburgicus;
 cum enim Cæsareæ investituræ legibus
 cautum esset, ut deficientibus masculis
 conjugis Filix, iis vero mortuis super-
 stites hæredes masculi succederent, &
 Neoburgicus ex secundo genita Guiliel-
 mi Ducis filia adhuc superstite, Bran-
 deburgicus vero ex primogenita, sed
 jam defuncta natus esset, ceteri autem
 Competitores, Gonzaga Nivernius, &
 Joannes Bipontinus Duces, Henricus
 Bullionensis, Ernestus de Manderfeld
 necnon Burgoviæ Marchio vel nonnulli
 remo-